

certa est, an coëxiterit tempori nostro; aut instanti illius, & an coëxiterit parti temporis adæquate aut inadæquate? Hoc dicimus non propter instantis Angelicum quantum est de se, sed propter instantis nostri temporis, quod non potest immediate succedere post aliud instantis, sed post partem temporis sequitur immediate instantis, & ad instantis immediate succedit pars temporis. Aliter contingit in instantibus temporis discreti Angelici, eo quod instantia Angelica non subduantur tempori nostro, & hac ratione possunt optime & connaturaliter coëxistere vel instanti nostri temporis, vel parti; & hujc vel inadæquate, vel adæquate, prout Angelo liberit. Et cum res incerta sit, quod secundum instantis Angelicum inceperit in instanti nostri temporis, sicut res incerta est, quod primum instantis Angelicum inceperit in instanti nostri temporis, neutrum potest certo diffiniri, nimirum, an instantis secundum Angelicum duraverit præcisè per correspondentiam ad vnicum instantis nostri temporis; & an hoc instantis coëxiterit instanti illius, aut parti illius adæquate, vel inadæquate?

In hoc tantum conveniunt Theologi, quod via Angelorum malorum finita fuit ante lapsum Adami: quia diaboli seduxit primos Parentes ex invidia, ut constat ex illo Sap. 2. *Invidia diaboli mors introiit in orbem terrarum.* Ex quo colligitur, quod sancti Angeli iam tunc suam beatitudinem consequuti erant: quia via Angelorum bonorum, & malorum fuit æqualis, ut communiter docent Theologi.

156 Imò verosimile est, quod hoc secundum instantis non coëxiterit nisi vnicò instanti nostri temporis. Tum, quia id satis innuitur ex illis verbis Christi Domini dicentis Luc. 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de celo cadentem.* Per que verba significatur, casum diaboli fuisse brevissimum adinstar fulguris, quod subito evanescit. ¶ *Tum etiam:* Quia via Angelorum bonorum, & malorum fuit æqualis, ut supra diximus; sed verosimile est, secundum instantis in Angelis bonis durasse per correspondentiam ad vnicum instantis nostri temporis: ergo credendum est, secundum instantis omnium Angelorum durasse præcisè per correspondentiam ad instantis nostri temporis. Minor probatur: nam iuxta D. Thomam in hoc art. 6. Angeli boni adepti sunt suam beatitudinem per vnam operationem meritoriam plenè liberam; sed verosimile est, Angelos bonos, hoc scientes, voluisse illam contrahere ad vnicum dumtaxat instantis nostri temporis: ergo verosimile est, quod secundum instantis duravit per correspondentiam ad instantis nostri temporis.

Nec huic positioni officit pugna, quæ fuit inter Michaëlem, & Luciferum; & quod Lucifer seduxit alios Angelos: quod arguit divi-
bilitatem huius secundi instantis. Non (inquam) officit: Quia prædicta pugna, & seductio sita

erat in manifestatione, & oppositione affectuum & dictaminum; quæ potuerunt fieri in instanti.

158 Ex his amandatur sententia Scoti, & aliorum asserentium, viam Angelorum omnium durasse per tria instantia, itaque transacto primo instanti, restaret status via per duo instantia. Que hoc modo explicant, nempe, quod Angelus, qui in primo ex his duobus rectè operatus est, posset in secundo peccare & damnari; & e converso Angelus, qui in primo ex his duobus peccavit, posset in secundo penitere & salvari. Hac ergo sententia cum eius explicatione non potest stare: quia Angeli redduntur inflexibiles in suis determinationibus plena deliberatione conceptis.

159 Neque refert, si dicas, Angelos bonos indignis dono perseverantia, ut tradit D. Thomas 3. Contra gent. cap. 155. sed ad habendam gratiam per vnum dumtaxat actum plenè deliberatum, & vnicum tantum instantis non est necessarium adhuc in nobis donum perseverantia, sed sufficit gratia habitualis cum communi auxilio: ergo Angelus bonus post primum actum meritorium plenè deliberatum potuit peccare; & Angelus malus post suum peccatum potuit penitere.

Non (inquam) refert: Tum, quia satis explicatur donum perseverantia Angelis bonis concessum, in eo quod illum primum actum, quem in primo instanti elicuerunt absque omni moda libertate, postea in secundo instanti continuerunt. ¶ *Tum etiam:* Quia in nobis potest contingere, quod post vnum actum meritorium plenè liberum statim decedamus ex hac vita, in quo casu homo, qui ita decederet ex hac vita, proculdubio suffulcus fuisset dono perseverantia, quod in eo consistit, quod perseveret in gratia usque ad terminum vite. His ergo de causis Angelus bonus habuit donum perseverantia, quia eius actus meritorius continuatus fuit ab instanti suæ creationis usque ad terminum vite, etsi eius actus meritorius ut omnino deliberatus tantum duraverit per vnicum instantis.

DUBIUM IX.

Vnde proveniat in Dæmone obstinatio?

DE obstinatione Dæmonis agit D. Thomas in 2. dist. 7. quest. 2. art. 2. *de Verit.* quest. 24. art. 1. & 2. quest. 16. *de Malo* art. 5. & præcipue in hac 1. part. quest. 64. art. 2. Scopus autem huius controversiæ est declarare radicem, vnde proveniat obstinatio illius in malo. Pro cuius intelligentia aliqua notanda sunt.

* * * * *

§. I.

omnilla suppositiones.

160 Nota, nomine *obstinatio* intelligi determinationem quandam immobilem & inflexibilem voluntatis ad malum. Que determinatio ex duplici capite potest oriri, vel ex causa præcisè extrinseca, vel ex causa intrinseca. Tunc dicitur provenire præcisè ex causa extrinseca, quando provenit ex carentia auxiliorum divinæ gratiæ, quæ Deus denegat iuxta legem à se iuste stabilitam ratione status. Ex causa verò intrinseca tunc dicitur provenire, quando hæc determinatio oritur ex natura intrinseca voluntatis obstinati, qui semel quod eligat peccare, ex apprehensione & iudicio dirigente hanc electionem manet indeclinabiliter determinatus ad malum. Quo explicato.

161 Supponimus primò, dæmones hoc, vel illo modo esse obstinatos in peccato suo. Hæc suppositio est de fide: quia, ut dicit D. Thomas loco supra relato ex 1. part. positio contra Origines (qui putabat, liberum arbitrium cuiuscumque creaturæ in quolibet statu esse veritabile in bonum, & in malum. Vnde inferebat, dæmones quandoque per liberum arbitrium posse redire ad bonum, & per divinam misericordiam consequi peccatorum veniam, sicut & bonos Angelos posse peccare & beatitudinem à se excludere) *repugnat auctoritati Scripturæ.* Vnde hæc positio est tanquam erronea reputanda: *¶ tenendum est firmiter secundum fidem catholicam, quod voluntas bonorum Angelorum confirmata est in bono, & voluntas malorum obstinata est in malo.* Propter hoc suppositio ista diffinita fuit in pluribus Concilijs, præcipue in Lateran. cap. *Firmiter, de summa Trinitate.* Eamque docent SS. PP. præsertim August. 2. *de Trinit.* cap. 17. & Greg. lib. 34. *Moralium* cap. 6.

Supponimus secundò, obstinationem dæmonum adminis provenire ex denegatione omnium auxilij tam efficacis, quam sufficientis ad bonum. In hac suppositione conveniunt omnes Theologi. Etenim sicut non datur peccatum, sine eo quod Deus denegat gratiam efficacem requisitam ad operandum bene, & ad omitendum malum; sic nequit dari impotentia perpetua, ut creatura aliqua convertatur ad bonum, aut retrahatur malum, sine eo quod Deus auferat ab illa, vel illi non concedat gratiam sufficientem, & efficacem ad bonum. Si enim Deus conferret ex via parte auxilium sufficientis ad bonum, posset retrahere peccatum; & si auxilium efficacis ex alia, illud defectò retraheret: ergo cum obstinatio dæmonis supponat aliquam impotentiam ad bonum, necessario fatendum

est, obstinationem dæmonis adminis provenire ex denegatione omnium auxilij tam efficacis, quam sufficientis.

Ratio autem, cur ei denegetur omnis gratia, iuxta hanc suppositionem, est, quia est in termino: nam eo ipso, quod quis sit in termino, sequitur subtractio gratiæ, quia gratia datur creaturæ rationali ut medium ad consequendam gloriam: ergo ei, qui ad gloriam amplius non ordinatur, qualis est existens in termino, non datur gratia. Hæc ratio est communis hominibus & Angelis, ut ex se liquet.

162 Et si objicias, quod si Deus denegat omne auxilium tam efficacis, quam sufficientis ad bene operandum, dæmones non possunt peccare; sed hoc non est dicendum, cum defectò peccent: ergo, Probatur sequela: nullus potest peccare, nisi habeat libertatem ad operandum bene & malè, cum sit necessaria libertas ad utrumque: posse autem ad bonum habebit per auxilium; ergo si sunt omnino privati ab auxilij gratiæ, non poterunt peccare. Quæ obiectio habet potissimè vim, dum dæmones committant aliquod flagitium directè contra finem supernaturalem: quia, ut ex dictis dub. 2. constat, nequeunt peccare contra finem naturalem.

Si hoc (inquam) objicias: Respondetur, quod ad potentiam peccandi non requiritur indifferentia ad bonum, & ad malum; sicut ad potentiam liberè operandi in bono non requiritur indifferentia ad malum, & bonum. Sed sicut ad operandum liberè & bene sufficit libertas contradictionis, uti videmus in Christo, in beatis, & Angelis pro primo instanti; ita ad operandum liberè, & malè sufficit libertas contradictionis ad hoc, vel illud malum.

163 Et si instantis contra hanc doctrinam, quod si Deus ab homine viatore auferret in penam sui peccati omne auxilium gratiæ sufficientis, iste non peccabit, quantum vis maneat cum libertate contradictionis, quia non potest peccare non observando legem, qui nullo modo potest eam servare.

Si hoc (inquam) instantis: Respondetur, permittendo antecedens; & negando consequentiam, quæ ex illo potest deduci. Et ratio disparitatis est: quia homini non imputatur non adimpletio præcepti, si ab eo auferatur potentia, nisi quando ablatio illius persè connectitur cum ipso peccato antecedenti, vel prævidetur huiusmodi ablatio. Hæc autem est differentia inter dæmones, & homines in via, quod homines non prævident, nec facile possunt prævidere, Deum denegaturum in via omnia auxilia sufficientia in penam alicuius peccati; cum hoc non contingat regulariter. Dæmones verò, imò & homo, dum peccant lethaliter, prævident suam damnationem, cum qua annexa est infalibiliter, iuxta præsentem providentiam dete-

gatio omnium auxiliorum; & ita prævident vel formaliter, vel virtualiter huiusmodi subtractionem. Et hoc sufficit, ut quidquid male operantur, imputetur eis ad culpam. Quæ solutio ante oculos haberi debet: erit fortassis necessaria ad infra dicenda.

Quibus suppositis, hæc controversia præcipue procedit de oblatione demonum orta ex secundo capite, & inquit, an proveniat ex natura intrinseca ipsorum? ¶ Et missa sententia Ochami 2. quest. 19. & Gabrielis dist. 7. quest. vnic. art. 1. asserentium, demonum oblationem oriri ex eo, quod Deus immediate illis infundit actum odij Dei, ac perpetuo illud conservat. Et sententia Aureoli in 2. dist. 7. art. 5. dicentis casari ex eo, quod Deus infundit habitum quandam intentum odij Dei (ne dicatur, quod Deus est author peccati) duplex capitalis & ex diametro opposita remanet sententia. Prima est affirmativa, quam tenet tota Schola Thomistarum cum suo Angelico Præcepto loco supra relato. Secunda est negativa: & hanc docet vtraque schola Societatis, & Scoti cum suis discipulis.

§. II.

Sententia D. Thomæ, & nostra.

164 **D**icendum est, oblationem demonum in malo oriri, tantum ex prima & potissima radice, ex naturali & intrinseca inflexibilitate ipsius. Et probatur ratione D. Thomæ: Nam voluntas Angeli ex natura sua immobiliter adhæret fini, ad quem semel ex plena deliberatione conversa est: ergo oblatio demonum ortum ducit, tantum ex præcipua radice, ex eius natura. Antecedens probatur: nam voluntas Angeli in volitione finis necessario sequitur iudicium practicum intellectus; sed intellectus Angelicus ex natura sua immobiliter iudicat de fine, quem semel ex plena deliberatione elegit: ergo etiam voluntas eius immobiliter adhæret fini, quem elegit. Maior supponitur ex sæpe dictis in hac disput. Minor probatur: nam iudicium intellectus debet esse secundum modum & conditionem apprehensionis obiecti; ideoque quia homo mobiliter apprehendit, mobiliter etiam iudicat; sed Angelus immobiliter cognoscit, & apprehendit finem: ergo etiam immobiliter iudicat de illo. Minor probatur: nam Angelus apprehendit finem absque compositione & discursu, hoc est, simpliciter intuitu: ergo immobiliter apprehendit finem. Antecedens supponitur.

Consequenter verò probatur: Tum, nam ideo homo immobiliter apprehendit principia, quia ea apprehendit simpliciter intuitu & sine discursu, & converso ideo mobiliter apprehendit conclusiones, quia apprehendit discurrendo

de vno in aliud: ergo si Angelus apprehendit principia & conclusiones sine discursu, cognoscit omnia ea immobiliter. Tum etiam, per quod præcedens probatio magis roboratur: nam eo ipso quod Angelus simpliciter intuitu & absque discursu cognoscit finem, apprehendit illum secundum omnes suas rationes & circumstantias: sicut e contra quia homo cognoscit suum obiectum discurrendo, prius apprehendit secundum unam rationem & circumstantiam, & postea secundum aliam; sed non stat, Angelum apprehendere finem secundum omnes suas rationes & circumstantias, & immobiliter eum non apprehendere, cum apprehensio mutari nequeat, quin nova ratio vel circumstantia ad illam mutandam occurrat: ergo idem quod prius.

165 Hæc rationi fundamentali D. Thomæ multipliciter occurrunt Adversarij conantes ex multiplici capite eam debilitare. Primum dicunt, falsum esse, quod intellectus Angeli omnino fixè apprehendit obiecta, quæ deliberate & perfecte apprehendit: quia non omnis cognitio Angelica comprehensivo modo procedit. Et licet cognitio speculativa procederet comprehensivo modo, non verò sequitur ex hoc, quod cognitio practica procedat modo comprehensivo. Et ita iuxta nostram sententiam & Thomistarum primam peccatum Angeli processit ex inconsideratione: qua supposita, potuit Angelus postea habere maiorem considerationem, & inde retractare peccatum: siquidem variatur cognitio quoad maiorem vel minorem considerationem. Maxime: quia ex ipsa pœnarum experientia advenit cognitio experimentalis; & hæc satis est ad retractandum.

Sed contra: Tum, quia licet cognitio Angelica non petat procedere modo comprehensivo, quando non conducit ad aliquam veritatem indagandam, sed ad cognitionem simplicem alicuius obiecti, fecus verò quando ad hoc conducit; sed huiusmodi fuit cognitio, quæ ordinatur ad eligendum ultimum finem: siquidem ex ea pendebat salus in perpetuas æternitates: ergo debuit procedere comprehensivo modo. ¶ **Tum etiam:** Nam, iuxta permissa in hac evaluatione demon, dum primò peccavit circa propriam excellentiam, cognovit eam saltem speculativè secundum omnes modos, rationes, & circumstantias; sed eo ipso iudicium practicum inconsideratum est naturaliter irrevocabile: quia, non apparente speculativè nova aliqua ratione in obiecto, ex natura sua petit Angelus iudicium irrevocabile: ergo. ¶ **Tum denique** (quo additamentum resistit) Nam demon pro priori ad pœnarum experientiam iam cognovit speculativè, ex sua illa electione pendere suam æternam salutem, aut damnationem: ergo cognitio illa experimentalis, quæ in statu damnationis illi advenit, non satis est ad mutandum iudicium practicum.

Sc.

166 Secundò dicunt, falsum esse, quod si Angelus immobiliter apprehendit obiectum, immobiliter etiam iudicat de eius convenientia: In secundo enim instanti erat liber ad formandum iudicium practicum de illius convenientia, vel de opposito, non obstante quod esset vna & eadem apprehensio: quare ergo postea non poterat mutare iudicium practicum, stante eadem apprehensione?

Sed contra: Nam propterea in secundo instanti Angelus est liber ad formandum iudicium practicum de convenientia huius obiecti, aut de eius opposito, quia erat instans, ex quo pendet perfectio eius deliberatio, quæ non habebat locum in primo instanti, & quia in apprehensione illius nihil relucet, ratione cuius necessitetur ad formandum hoc iudicium potius quam aliud; sed post plenam deliberationem non est in Angelo potestas ad formandum iudicium practicum oppositum, stante immobilitate apprehensionis: ergo, non obstanti quòd in secundo instanti Angelus fuerit liber ad formandum hoc iudicium & eius oppositum, fecus verò postea. Minor probatur: nam post plenam deliberationem circa aliquod obiectum non datur locus ad mutandum iudicium practicum, nisi obiectum apprehendatur secundum non as circumstantias, aut motiva; alias ita mutans iudicium argueretur summè inconstantiæ, quæ locum non habet in summa nobilitate Angeli; vel mutetur aliqua dispositio corporalis, ut in nobis contingit: ergo cum hæc Angelo repugnet, maneat, quòd stante immobilitate in apprehensione non possit mutare iudicium practicum.

Explicatur hoc cum D. Thomæ quest. 24. de Verit. art. 10 ubi docet, ex triplici capite in nobis oriri potentiam ad retractandum peccatum: peccatum enim aliquando oritur in nobis ex impetia alicuius passionis, v. g. iræ, ratione cuius impeditur iudicium rationis, ne actu iudicet in particulari, quod in universalibus habitu tenet; & ob hanc rationem sequimur inclinationem passioni. Sed contra hoc adest recta existimatio per finem, quæ est principium in operabilibus, ratione cuius potest reprimere omnem impetum passionis. Hoc autem non habet locum in Angelis; cum careant omni passione, sicut & parte sensitiva, in qua est passio.

Peccatum etiam multoties in nobis oritur ex inclinatione habitus, ratione cuius transit in ipsam naturam, iuxta illud Philosophi: *Consuetudo est altera natura*. Ex quo resultat inclinatio in id, quod luxurie (v. g.) convenit, quasi in aliquid sibi connaturæ. Hinc oritur, quod aliter iudicat de eodem obiecto infirmus, & sanus; aliter iracundus, & pacatus; aliter qui habet consuetudinem, & quia ea caret. Contra hoc genus peccati difficile est remedium, quia con-

naturalizatum est cum ipsa natura; non tamen est illo omnino destituta, eo quod nullus habitus corrumpit omnes potentias; ideoque si aliquis habet corruptam concupiscentiam per habitum luxurie, ex ipsa irascibili potest incitari ad aliquid arduum aggrediendum, nempe, ad tollendam molliorem luxurie. Sed nec hoc habet locum in Angelis, qui gaudent vnicæ & simpliciter potentia in genere tam cognoscitiva, quam appetitiva.

Tandem peccatum in homine oritur ex aliqua ignorantia aut errore, ut cum quis est in errore, quòd fornicatio non est peccatum. Et contra hoc habet remedium: quia sicut homo incurrit huiusmodi errorem aut ignorantiam per discursum, hoc est, per ratiocinationes falsas; ita potest tolli per contrarias ratiocinationes, & consequenter retractare peccatum. Unde cum Angelus careat discursu, ut in suo loco dictum est, sequitur, peccatum suum ex hoc non habere remedium. Maneat ergo quòd, supposita immobilitate apprehensionis comprehensivè in Angelo, & plena deliberatione ad iudicium determinatum, non potest formare iudicium practicum oppositum.

Accedit ad hæc, quod prædicta immutabilitas in iudicio determinato non dicit rationem actus puri; cum dicat actum distinctum à potentia: neque est contra rationem libertatis creata: nam, ut inquit Div. Thomas 4. Contra gent. cap. 95. voluntas creata & perfecta (quæ licet est Angelica) non petit ad sui libertatem, quòd possit mutari de bono in malum, aut de malo in bonum: sed sufficit, quòd possit mutari de vno volito in aliud, servato ordine ad eundem ultimum finem.

167 Tandem respondent, quòd adhuc admissio quòd Angelus sit ex natura sua determinatus ad formandum idem dictamen practicum, non inde inferitur, voluntatem eius esse omnino determinatam ad sequendum eius ductum. Quibus addunt Scotitæ, aliquid falsum, vel saltem omnino dubium assumi, nempe, Angelum omnia intelligere sine discursu.

Sed hæc evasio quoad primam partem satis impugnata manet ex dictis in hac disput. dub. 7. Et quoad secundam ex dictis disput. præced. dub. ultimo.

§. III.

Obiectiones oppositæ sententiæ.

168

Arguitur primò: Nam si Angeli ex natura sua essent inflexibiles, sicut Angeli mali propter eandem rationem perpetuo adhererent malo, simili ratione boni immobiliter ratione suæ naturæ bono adhererent: ergo impotentia cadendi in peccatum in illis non oritur ex gratia, sed ex naturali inflexi-

xibilitate; sed hoc est contra SS. PP. Augustinus enim de *Corr. & gratia* disertè docet, Angelis bonis datum esse in præmium sui operis, quòd per charitatis abundantiam ulterius cadere non possent. Quod reperit cap. 11. & alibi. Idem tradit Greg. lib. 23. Moral. cap. 4. & lib. 27. cap. 23. Ildorus clariss id docet lib. 1. de *Summo bono* cap. 12. num. 2. & 7. ubi ait, Angelos secundum naturam mutabiles esse, sed non sinit cor mutari contemplatio divina. Clarissimè omnium tradit id ipsum Damasc. lib. 2. cap. 3. ubi inquit, Angelos non esse facile mobiles in malum, sed neque omnino immobiles: *Nunc tamen ea conditione sunt, ut nulla ratione moveri possint; quod non eorum natura, sed gratia constantia tribuendum est.*

Ad hoc argumentum respondetur, quòd verissimum est, Angelos solum ex gratia Dei esse immutabiles in bono: quia licet Angelus ex proprio modo operandi peccat inflexibilitatem post electionem; tamen quòd ista sit in bono & non in malo, ex magna Dei gratia ortum duxit, quam si Deus suspenderet, in malo obstinarent. Et si aliquando Patres asserunt, Angelum esse semper mobilem, non intelligendi sunt, esse mobilem per retractationem, sed circa diversa objecta, quæ de novo accidunt; licet semper sub eodem fine, quem prius elegit.

69 Arguitur *secundò*: Nam mali Angeli, cum in primo instanti Deum dilexissent, postea in secundo hoc retractati sunt: ergo non sunt natura sua inflexibiles, ut simili ratione non possint à malo in bonum converti, si proportionata facultas & gratia illis concedatur.

Nec refert, si dicas cum Thomistis, Angelos esse immobiles circa objecta, quæ plena deliberatione eligunt cum facultate ad utranque partem: Angelos autem in primo instanti non dilexisse Deum deliberatione plena cum facultate in utraque partem, quia non poterunt peccare. ¶ Non (inquam) refert inquit Scotista. Tum, quia talis primus actus fuit meritorius: ergo ex plena libertate & deliberatione. Tum etiam: Nam id intelligitur procedere ex plena deliberatione quòd fit cum consideratione omnium eorum, quæ in re, de cuius electione agitur, considerari possunt; sed Angelus in primo instanti habuit considerationem omnium, quæ de re considerari debuerant: ergo habuit plenam deliberationem. Maxime: quia demones primò peccaverunt ex inconsideratione aliqua: ergo non ex plena deliberatione.

Et confirmatur: Nam demones defecit, antequam cognoscerent Christum esse Deum, deliberatè mortem eius procurarunt, quando diaboli misit in cor Iudæ, ut traderet Christum; sed postea, cognita divinitate Christi ex aliquibus indicijs, voluntatem præ-

dictam retractavit, quando per uxorem Pilati procuravit, ne Christus crucifigeretur: ergo Angelus non immobiliter adheret, cuiusque adheret deliberatè.

Ad argumentum respondetur, susinendo solutionem inter arguendum datam, quæ optima est; quæque ob nullam ex tribus probationibus corruit. *Non ob primam*: Nam ad meritum non requiritur actus plenè deliberatus, sed sufficit, quòd sit liber quoad exercitium. *Nec ob secundam* (per quod magis patebit ad primam) Nam ad plenam deliberationem non sufficit, quòd præcedat consideratio omnium eorum, quæ considerari debent, sed iterum requiritur potestas ad formandum iudicium omnino à se. Angelus autem, estò in primo instanti habuerit considerationem omnium eorum, quæ considerari debuerant, non poterat à se formare iudicium prædictum, ut manet probatum dub. 4. Et ob hanc causam eius actus non procedebat cum omnimoda deliberatione. Precedebat tamen ex sufficienti libertate ad meritum, quia prædictus erat iudicio indifferens ad actum amoris & caritatis illius, ut alibi diximus, & hæc libertas sufficit ad meritum. Ad additamentum satis constat ex dictis num. 165.

Ad confirmationem respondetur, supponendo cum omnibus duo. *Primum est*: quòd demones saltem ratione status erant inflexibiles. *Secundum*: quòd quando procurabant mortem Christi, & postea procurabant oppositum, semper id procurabant ex firma adhesionem ad ultimum præsum suum, quem in primo suo peccato elegerunt. Ratio verò, cur retractatum propositum, est: quia non habebant plenam iudicium circa mortem Christi, quia non sciebant, Christum esse verum Filium Dei. Sed quia postea ex urgentibus indicijs id iudicabant, & suspicabantur magna illis damna ex eius morte ad futura, poterunt retractare propositum. Hoc autem non habet solum tum in electione ultimi finis, nec in electione alterius objecti plenè comprehensi, ut ex se liquet.

170 Arguitur *tertiò*: Nam Angelus, facta electione circa aliquod objectum, manet adhuc liber ad malum & bonum pro instantibus sequentibus: ergo non remanet immobilis. Antecedens probatur: quia necquit assignari caput, unde proveniat inflexibilitas determinatè ad malum (v. g.) Nam *imprimis* provenire non potest ex natura voluntatis Angelicæ tum, quia hæc perfectio solum est propria divinæ voluntatis. Tum, quia Angelus non est tantæ perfectionis, ut ei repugnet vitium inconstantiae. Tum denique: quia esset multò maior imperfectio immutabilitas, quam mutabilitas: quia inde sequeretur, quòd, vno errore semel commisso, semper teneretur in eo obstinate manere, & magis cum deceret mutabilitas, ratione cuius posset præcedentem errorem revocare, & bono adherere.

herere. Deinde non potest provenire ab intellectu: tum, quia eadem cognitio, quæ fuit antea, manet postea: ergo sicut antea non trahebat necessario voluntatem ad objectum, ita etiam postea. Tum etiam: quia nullum objectum præter Deum clarè visum necessitat, & immobilitatem ad sui amorem.

Et confirmatur: Nam demò post peccatum commissum in instanti à libere culpabiliter perseverat in eo: ergo Angelus post primum instanti peccati habet plenam libertatem ad non perseverandum, & consequenter ad retractandum peccatum.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens, propter dicta pro nostra asserione, ex quibus sequitur inflexibilitatem ad malum ortum ducere ex natura voluntatis, & intellectus Angelici. Et ad primam probationem, quæ procedit contra voluntatem: dicimus, quòd immutabilitas, quæ est propria perfectio Dei, est talis, ut identificet suum actum secundum; & ita non obstat, quòd immutabilitas, quæ distinguitur ab actu secundo, sit propria alicuius creaturæ. Sicut non discutere utriusque non est proprium Dei, sed est commune Deo & Angelis, quamvis cum discrimine proxime explicato.

Ad secundam respondetur, quòd vitium inconstantiae, in his quæ perfectè apprehendit, est contra nobilitatem naturæ Angelicæ. Neque ex eo quòd, vno errore semel commisso, tenetur semper in eo manere, sequitur maior imperfectio, quam ex mutabilitate, quæ possit eum retractare. Quia mutabilitas hæc fundatur in inferiori natura: proindeque debet inferri, quòd ista arguit maiorem imperfectionem physicam, necnon maiorem imperfectionem moralem, quando voluntas determinatur ad bonum, quamvis inflexibilitas in malo arguat maiorem malitiam moralem. Per quòd constat ad tertiam.

Ad primam probationem, quæ procedit contra naturam intellectus: Respondetur, fatendo, quòd eadem cognitio, quæ fuit in secundo instanti, remanet in sequentibus: sed quia hæc cognitio fuit non solum speculativa, sed etiam practica, rapuit totaliter adhuc in secundo instanti voluntatem. Unde si eadem perseverat in sequentibus, etiam debet inflexibilitatem voluntatem. Verum quidem est, quòd ex vi cognitionis speculativæ habitæ in secundo instanti fuit liber ad formandum iudicium practicum de conversione ad finem supernaturalè, vel de opposito. At semel quòd se determinavit ex vi illius ad formandum hoc iudicium, potius quam aliud, iam non est amplius in sua potestate illud revocare: quia cognitio illa erat comprehensiva. Ad *secundam* respondetur, quòd licet solus Deus clarè visus necessitet voluntatem quoad exercitium, dantur tamen ex vi ali-

cuius capitis alia objecta, quæ necessitent illam quoad specificationem. Et ita beatitudo in communi necessitat nostram voluntatem quoad specificationem: & quòdlibet objectum comprehensivè cognitum, & omnino liberatè electum eadem necessitate trahit voluntatem Angelicam: quòd deducendum est non ex natura ipsius objecti, sed ex natura & perfectione naturæ Angelicæ.

171 Ex his etiam respondetur ad confirmationem, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Quia ad libere culpabiliter perseverandum in malo sufficit libertas quoad exercitium, vel de bono in bonum, vel de malo in malum, vel ad amorem finis & eius caritatem, ut supra diximus cum D. Thoma. Vel potest dici, quòd licet Angelus non possit retractare peccatum, quòd semel elegit, non propterea est inexcusabile, quia impotentia hæc fuit libera in causa, videlicet in prima electione omnino deliberata: & hoc sufficit, ut culpabiliter perseveret in peccato. Quam doctrinam facerè debent (velint, nolint) Adversarij: siquidem in eorum sententia demones ratione status privati manent omni auxilio tam efficaci, quam sufficienti ad bonum morale; hæc autem subtractio gratiæ asserit secum impotentiam ad elicendum bonum morale. Fatendum est igitur, vel quòd nullum peccatum committunt, siquidem in linea præcisè naturalis nequeunt directè peccare; vel quòd ad peccandum sufficit eam impotentiam fuisse voluntariam in causa.

¶ *Quædam corollaria*

EX dictis inferuntur primò, quid dicendum sit de anima separata: cuius resolutio pendet ex his, quæ diximus disp. præced. n. 162. Nam si verum est, quòd anima separata discutit pro illo statu, pariòriter statuendum est, eius obtinationem aut inflexibilitatem non provenire ex aliqua causa intrinseca, sed præcisè ab extrinseco & ratione status. Nec contra hoc vni aliquam habent testimonia D. Thomæ infra adducenda: quia in eis comparat obtinationem demònis & animæ separatæ, non attendendo ad causam adæquatam, sed præcisè ad inadæquatam, quæ est extrinseca. Intra quòd dicendum est, ex diversâ causa adæquata provenire obstinationem demònum, & animæ separata.

Si verò dicatur, quòd anima separata convenit cum Angelis in modo intelligendi; pariter affirmandum est, eius inflexibilitatem non solum provenire ab extrinseco, sed etiam ex natura & conditione, quam habet pro illo statu. Ex quo inferri debet, quòd ex ipso primo instanti separationis manet ab intrinseco immobilis. Sive in

bono, sive in malo, eod quod simpliciter intaitu & absque discurfu, cognoscit vltimum finem & omnes circumstantias, & sic ex illo primo instanti iudicat immobiliter de convenientia talis finis. Qui modus probabilior vltus fuit nobis loco supra relato in via D. Thomae, & modò etiam videtur propter duo testimonia illius, in quibus omnino paritac obstinationem animae separata cum oblatione demonis. Primum habetur in 2. dist. 7. quait. 1. art. 2. vbi ait: *Ex eadem radice habent demones, & anima damnatorum obstinationem in malo.* Secundum habetur quest. 24. de Verit. art. 11. vbi inquit: *Anima separata Angelo conformatur & quantum ad modum intelligendi, & quantum ad indivisibilitatem appetitus, quae sunt cause obstinationis in Angelo peccante: unde per eandem rationem in animata separata obstinatio erit.* In resurrectione autem corpus sequitur animae conditionem: & ita tunc eadem obstinationis ratio manebit.

173. Inferitur secundò, Demones, & animas damnatorum non posse elicere aliquod opus bonum moraliter. Hoc consuetarium expressè traditur à D. Thoma in praef. art. 2. ad 5. vbi ait: *Actus demonis est duplex. Quidam scilicet ex voluntate deliberata procedens. Et is proprie potest dici actus eius, & talis actus demonis semper est malus: Quia etsi aliquando aliquod bonum faciat, non tamen bene facit: sicut dum veritatem dicit, et discipiat; & dum non voluntariè credit, & constituitur, sed rerum evidentia coactus. Alius autem actus demonis est naturalis, qui bonus esse potest, & attestatur bonitati naturae; & tamen tali bono actu abutuntur ad malum. Idem tradit quest. 15. de Daemon. art. 5. vbi loquens de illis sic concludit: *Et ideo quomodo diversa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant: quia in omni eorum electione permanet vis prima electionis ipsorum.* Hoc adhuc clarius suadet 2. dist. 7. quait. 1. art. 2. vbi inquit: *Impossibile est à voluntate adherente inconvertibiliter perverso fini aliquod rectum opus provenire.**

Ex his testimonijs probatur ratiò: Nam Angelus ita immobiliter adharet vltimo fini, quem sibi ex perfecta deliberatione destinavit, vt nequeat elicere aliquem actum nisi per influxum actualem predicti finis; sed finis pravus nequit actualiter influere in actum bonum moraliter: ergo cum demones immobiliter adherent vltimo fini pravo, non possunt elicere aliquem actum bonum moraliter. Minor cum consequentia constat: quia omnis eorum actus esset vitiosus prava circumstantia finis. Maior verò, in qua est difficultas, probatur: Nam ita se habet Angelus in ordine ad vltimum finem in particulari plenè electum, sicut homo in ordine ad bonum in communi; sed homo non potest vlti-

actum elicere, nisi per influxum actualem boni in communi: ergo nec Angelus potest elicere aliquem actum, nisi per influxum actualem vltimi finis in particulari. Minor cum consequentia liquet. Et maior satis inferitur ex dictis per totam disputationem: siquidem Angelus ob maiorem sui actualitatem nequit actu operari, nisi actu constituat sub actuali amore sui vltimi finis: Et quia homo est magis potentialis, sufficit ad hoc, vt actu operetur, quòd constituitur sub actuali amore boni in communi.

Hinc ergo inferuntur duo. *Primum est:* quòd licet Angelus non sit adhuc post plenam electionem sui vltimi finis necessitatus ad actualem amorem illius; est tamen necessitatus quoad exercitium, ex suppositione quòd velit liberè operari circa aliquod obiectum. *Secundum est:* quòd licet sit liber ad eligendum hoc, vel illud medium, semper tamen debet illud eligere ex influxu actuali vltimi finis. Per quod distinguitur ab homine peccatore: hic enim propter sui potentialitatem solum petit adherere habitualiter suo vltimo fini, neque petit operari semper ex actuali influxu alicuius finis in particulari est vltimi. Et hinc provenit, quòd dum est in statu peccati lethali, non omne opus eius est malum moraliter; & dum est in gratia, non omne opus eius est bonum moraliter. Et ratio deducitur ex proxime dictis: quia adhuc vltimo suo tantum habitualiter; & habitibus vitium, quando volumus. Per quod proœcipitur quaedam tacita replicatio.

174. Sed obijcies: Defectò demones efficiunt aliquos actus ex omni parte bonos moraliter: ergo potest illos facere. Antecedens probatur: nam in demone datur virtus synderesis semper remurmurans malo; sed iste actus semper est bonus: tum quia est actus alicuius virtutis: tum & quia actus remurmurans malo nequit oriri ex intentione pravi finis. *Secundò:* Quia inclinatio ad beatitudinem in communi est demoni naturalis; sed hæc intentio & inclinatio est bona, vt potest indita ab auctore naturæ: ergo. *Tertiò:* Demone multa bona appetit, vt suum vivere, & intelligere; sed iste appetitus est bonus: ergo. *Quartò:* Quia dives epulo sepultus in inferno defectò curavit de salute spiritali fratrum; sed hic actus non potuit aliqua circumstantia prava vitari: ergo. *Quintò:* Nam dolere de peccatis propter penas est actus bonus, vt constat in nobis; sed hunc actum habent demones & damnati, iuxta illud, *Pœnitentiam agentes:* ergo.

Respondetur negando antecedens. Ad culas primam probationem dicimus, quòd synderesis non est virtus propriè moralis; quia actus eius est necessarius, ac per consequens illa remurmuratio de malo nec est bona, nec mala moraliter. Et ita demones non efficiunt hunc actum in virtute alicuius finis boni à se intenti, sed

sed ex fine quem intendit auctor naturæ. Hanc solutionem tradit D. Thomas in 2. dist. 7. quait. 1. art. 2. ad 3. his verbis: *In synderesi sunt universalia principia iuris naturalis. Unde oportet, quòd remurmuret omni, quòd contra ius naturale sit: sed tamen istud murmur est actus naturæ.* Quòd si ex aliquo capite prædictus actus ingreditur ordinem morale, ordinant illum ad pravam finem, vt de dilectione naturali sæpissime diximus.

Ad secundam respondetur, quòd postquam demon se convertit ad propriam excellentiam tanquam ad vltimum finem, iam sibi determinavit vltimum beatitudinem in particulari in pravo illo fine, qui subrogatur in omnibus pro beatitudine in communi. *Ad tertiam* satis patet ex dictis ad primam, quia illi actus sunt naturales. Sed si ingreditur ordinem morale, vitiantur ex prava voluntate deliberata sui finis, qua vult demon vivere & intelligere sub deformitate peccati: sicut luxuriosus desiderat vivere in sua turpi delectatione. *Ad quartam* respondetur, quòd ille dives non procurabat salutem fratrum propter illorum bonum, sed propter seipsum, videlicet, aueretur penas; & in odium Dei, ne castigaret malitiam eorum commissam contra ipsum Deum. Ita docent D. Greg. & Chrylost. *Ad quintam* respondetur, illud dolorem esse mundanum, quia demones nunquam dolent de offensa, sed de malo quod patiuntur. Vnde sicut timor mundanus est vitiosus, ita & dolor. *Vel dicat:* illum penitentiam oriri ex invidia salutis electorum, vt ex verbis immediate sequentibus sacri textus satis colligitur.

175. Inferitur tertio, demones semper esse

in actuali odio Dei: licet non ex natura sua, sed ratione status. Ratio primi est: quia, vt supra diximus, non est caput, vnde necessitetur quoad exercitium ad actualem odium Dei; posita electione pravi finis: nam si ad hunc diligendum non est quoad exercitium necessitatus ex vi sue prave electionis, neque ad odium actualem Dei; cum odium alicuius obiecti semper supponat in voluntate amorem alterius, sicut actus secundarius semper supponit primum.

Ratio secundi est: quia ratione status perpetuò & necessariò sunt in actuali consideratione suæ miserie, status, & pœnarum, quas patiuntur: cognoscunt insuper principalem causam, à qua puniuntur, nempe Deum: carent etiam omnino spe mitigationis & remissionis pœnarum (ab actuali enim consideratione omnium horum nequeunt diverti, ne remittatur tantisper eorum pœna) ex hac ergo actuali consideratione in surgit aliqua affectio circa Deum: sed hæc non potest esse bona, propter superius dicta: ergo debet oriri odium formale Dei; quod debet durare quantum consideratio prædicta. *Quibus adde:* quia naturale est, vt qui vehementer considerat, & apprehendit ingentem dolorem & miseriam, quam patitur sine ulla spe recreationis, odio habeat suum punitorum. Maxime, quando voluntas est valde depravata, vt est voluntas demonis.

Et hæc sint satis pro hoc tractatu de Angelis, necnon pro toto hoc Opere complexente primam partem Div. Thomae. Nam siquid desiderari videbatur ad pœnam demonum conducens, id expressè depertrabitur in tract. de Peccatis.

